

Y  
3899,-

Anton  
Einladung z. Weihnachtsfeier

1702



1443 K 7209 142

PRORECTOR  
ACADEMIAE  
FRIDERICIANAE  
**PAVLVS AN-**  
**TONIVS,**

SS. Theol. D. & Prof. P. Ordin. Confist.  
Magdeb. Confiliar.

*Vna cum*

*vppc*

PROFESSORIBVS  
RELIQVIS  
CIVES ACADEMICOS

AD FERIAS NATALI SERVATORIS SACRAS  
*rite ac pie celebrandas,*

Omnes ac singulos humanissime hortatur  
atque inuitat.

1402




VD18



## GLORIA IN SVPREMIS DEO, ET IN TERRA PAX, ET IN HOMI- NIBVS BENEPLACITVM!

Matth. 1:1.



Ouam *Genesin*, Ciues Academici, deuota, vt par est, mente concelebremus. *Genesis* & in Veteri & in Nouo Testamento primus liber, vel, si hic pars libri, & ea quidem minima est, eo tamen ipso, quod βιβλος audit γενεσεως, (\*) (liber generationis) & harmoniam.

N*on* ui Fœderis cum Veteri, & rerum, quæ vtriusque scriptis comprehenduntur, connexionem, & nouæ γενεσεως dignitatem ostendit ac prærogatiuam. Est enim haec γενεσις ἡ πρώτη χριστιανικη, (*Generatio Iesu Christi*) abscque qua si fuisset, γενεσις οὐκ θεωρουμενη τῶν ανθρώπων, (*Creatio mundi & generatio hominum*), vt Gen. V, i. habent.

Matth. 1:1.-17. LXX; nobis haud profuisset. Linea sancta in Matthæo, ab Abraham ad Christum, in Luca autem a Christo ad Adamum usque protenditur; verum Christus vtrōbique finis est, & is, ad quem omnes in V. T. genealogiæ collinearunt. Earum proinde, post Christum revelatum, in sacris vt utilitas, ita cura inter veros Christi cultores, ex monito Apostoli, illlico cessauit. Ceterum,

ne quid veteris ac nouæ geneseos desit harmonia, Iohannes initium sui Euangeliū connectit cum inicio Mosis, ita, vt *genesin primam*, sive mundi creationem, ad causam suam referendo, *nouæ genesi maiorem*, eique debitam

ספר תולדות (א) Gen. V, i. liber, recensio; enumeratio generationum; ad eam analogiam vocat Matthæus βιβλος γενεσεως (librum generationis) recensionem genealogie Christi.

tam conciliat dignitatem. Verbum, ait, caro factum est. Ioh. 1: 14.  
 Ecquod? Illud ipsum, quod in principio iam erat, (ante- v. 1, 2, 3.  
 quam crearetur quicquam) & sine quo factum est nihil,  
 quod factum est. Ita sifitir ἡ Θεολογία, (Theologus) quod Io-  
 hanni nomen sancta tribuit antiquitas, πρωτότονος (non Col. 1: 5.  
 πρωτότονος) πάσης κτίσεως, (primogenitum, non primo Ioh. 1: 18.  
 creatum, omnis creatura) ex sinu Parris prodeuntem, & Ebr. 1: 2, 3.  
 venientem in hunc mundum, ut mundum, quem for- Ioh. 1: 10.  
 mauerat ipse, per se ipsum reformet.

Recolamus igitur animo, ductum virorum θεοπνέu-  
 των (qui afflatus Spiritus S. scripserunt) pie sequentes, Gal. 4: 1.  
 Genesim veterem, & in eius umbris, figuris, typis ac vatici- Habac. 2: 2, 3.  
 niis spe eternis nouam Genesim, tanquam in aliquo Sapien-  
 tiæ theatro heredi Dei, (Ecclesiæ) quum infans esset, propositam,  
 & quasi in tabula ei suspensam, ut is, quod serio res agatur, & ex multitudine, & ex varietate, & ex grauitate ac pondere testimoniorum edoceatur.  
Quæ autem infantibus lusus instar Sapientia repreäsentavit, ieiuna aut tenuia non sunt. Quando Sapientia ludit, viri inueniunt, quod discant, & in quo etiam iis, qui sensus habent exercitationes, aqua saepius hæreat; imo remanent semper haud pauca, quæ lynceam humani iudicij aciem fugiunt, a simplicibus autem animis & ταῖς γη- Marth. 11: 25.  
 πτοῖς (infantibus), quibus, ut ad lusum sacrum aptioribus, præcipue delectatur Sapientia, obseruantur, amantur. Sa- 1. Cor. 2: 14.  
 pientib⁹ saeculi talia haud raro fordent, quia nec ipse Christus iis bonus est odor, nec villa, quæ vere animam nutrit & conseruat, cibi instar salutaris sapit Sapientia. Iis vero, qui vere sapientes sunt, (hoc est, quibus, definiente Bernardo, (\*) queque res sapiunt, prout sunt,) sapit Manna istud, & est in deliciis. Quantum inter accommodationes,

A 2

vt

(\*) Bernh. Serm. XIX. Est sapiens, cui quæque res sapiunt, prout sunt. Cui vero ipsa iam in se, prout est, sapientia sapit, is non modo sapiens, sed etiam beatus est. Nemp̄ hoc est videre Deum sicuri est, arque hic quidem fluminis impetus latificans ciuitatem Dei; hic torreas voluptatis, hæc denique ybertas inebrians.

WD18

vt vocantur, steriles, *ingenii humani lusus, sensum verbi*  
*Dei violentia quadam ad interpretis voluntatem infl-*  
*xum ac detortum, & inter sanctissimum diuinæ sapientie*  
*lusum ac sacrum Drama, rerum maximarum prodromum*  
*& nuntium intresit, hi demum recte iudicare val-*  
*ent, qui experiuntur quotidie, magis serio rem agi a*  
*Sapientia, quando ea ludit, quam ab hominibus, vbi ma-*  
*xime serio & grauiter agere videntur.*

Prov. 8:30, 31.

In præsentia nobis Genesis Mosaica ad γένεσιν Ιησοῦς  
 χριστοῦ (Generationem Iesu Christi) in vaticiniis ac imaginibus  
 diuinis spectrandam campum aperit, quem emetiri  
 alloquii huius solemnis angustia non permittit. Sufficiat igitur,  
 aditum patescere, & Genesim Mosaiicam a nobis  
 repeti ab ouo, ut in proverbio dicitur, ad Abrahami  
 æratem, qua βαθύν γένεσιν Ιησοῦς χριστοῦ (librum Generationis  
 Iesu Christi) auspicatur primus Noui Fœderis scriptor,  
 Matthæus.

Gen. 1:1.

Ioh. 1:1. c.8:25.

1. Ioh. 1:1.

Marc. 13:9.

2. Pet. 3:4.

Apoc. 3:14.

Ef. 6:5: 17. &amp;c.

Gen. 1:2, 3.

Ioh. 1:4. seqq.

Luc. 1:78.

Pf. 50: 2.

Ioh. 8:12. c.95.

c.19. Luc. 2:32.

Ef. 60:3. c.49:16.

2. Pet. 1:19.

Rom. 13:12. Pf.

19:2. Gen. 1:6.

Pf. 30:6. Pf. 136:5.

Gen. 1:11.

Pf. 67:7.

Th̄ ἀρχὴν τῆς κτίσεως (principium creationis) describit  
 in Genesi sua Moses: Primogenito autem in orbem ad-  
 ventante, qui ipsa est ἀρχὴ τῆς κτίσεως, nouum datur nou-  
 væ creationis principium. Great enim Deus cælum,  
 nouum ac nouam terram.

Vera lux, fons lucis ac vitæ omnis, ἡ αὐτολήξη ψεγετ  
 (ortus ex alto) in mundum venit tenebricosum. Fugiunt  
 umbræ, ac tenebrae infernales dispelluntur. Nam e  
 Zione perfectio pulchritudinis, Deus effulget. Videt Deus ist-  
 hanc lucem bonam esse. Propterea hanc lucem vocavit  
 Diem, in cordibus nostris exorientem. Celi nunc enarrant glo-  
 riam Dei, & opus manuum eius adnuntiat firmamentum; quia  
 ille nunc homo natus est, per quem cæli facti sunt. Me-  
 rito igitur gloria in excelsis Deo a cælitibus canitur.

In terra vero pax annon iure celebratur? Ecce ter-  
 ra nunc dat prouentum suum. Benedixit enim nobis Deus, De-  
 us noster; benedixit nobis Deus, ut timeant ipsum omnes fines  
 terræ.

Prodit

Prodit nunc sol iustitiae, tanquam sponsus exiens etham suo; gaudet sicut heros ad currendum viam. Creatonis mundi dies quartus Solem creatum attulit; mundo vero creato qui sex dies magnos ante  $\sigma\alpha\lambda\kappa\alpha\tau\iota\sigma\mu\delta$  (quietem) tribuunt, die tertiis diuinæ æconomiae quarto Solēm increatum effulsiſſe, haud incongrue obſeruant. Est hoc lumen maius, Eſaiā teste, obſtūcans minus, Solēm ipsum creatum; & cuius luce, propria carens, Lunæ instar, coruſcat Ecclesia; Sponsa paupercula, Sponsi conspicua vefitu.

Nunc vt pifces multiplicabuntur iusti, (\*) & aquæ (quæ populos in Scripturis denotare non raro ſolent,) innumeram, vt reptiliū, dabunt multitudinem iustum. Hæc demum  $\pi\pi\pi\pi\pi\pi$  (animarivens,) quæ *VITAM EX DEO* nacta fuerit, & vita & iusta vere, viua per regenerationem, iusta per iuſtificationem gratis datum. *Iuſsus enim natus est, qui cognitione ſui multos redere debebat iuſtos, vt pote quorum erat iniuitatem portaturus.* Iam eiōd (imago) Dei inuifibilis,  $\pi\pi\pi\pi\pi\pi$  ( $\tau\pi\pi\pi\pi\pi\pi$   $\delta\delta\delta\delta\delta\delta$   $\zeta\zeta\zeta\zeta\zeta\zeta$   $\tau\pi\pi\pi\pi\pi\pi$   $\pi\pi\pi\pi\pi\pi$   $\pi\pi\pi\pi\pi\pi$ ) *splendor gloriae* & forma expreſſa ſubſtantia eius oculis cernitur hominum. Illustrior hæc Dei imago, quam illa, quæ Adamo primo fuit impertita. Nam primus homo et terra, terrenus secundus homo Dominus (vt videas, ad quem dominium, homini primo in creaturas datum, pertineat) et celo. Qualis *Ioh. 3: 31.* terrenus, tales etiam terreni; & qualis ſupracœliſis, tales etiam ſupracœliſtes. Et ſicut portauimus imaginem terreni, portabimus etiam imaginem ſupracœliſtas.

Veri Sabbathi, quod prædixerunt Prophetæ, initium nunc eſt, & fundamentum  $\sigma\alpha\lambda\kappa\alpha\tau\iota\sigma\mu\delta$  a populo Dei expectandi. Non Moses in capsula; (qui destinatus erat,

A 3

vt

(\*) Gen. XLIX, 16. Benedictio Ephraimi & Manasseh:  $\text{לְבָנִים}$   $\text{יַעֲקֹב}$  crescent in multitudinem instar pifciuum. Hinc necessarii:  $\text{לְבָנִים}$  pifciatores (hominum) Ier. XVI, 16. Matth. IV, 19. Luc. V, 6, 10. Ioh. XXI, 6, II. Ezech. XLVII, 10. Habac. I, 14.

Gen. 1: 16. Mal. 4: 2. Ps. 19: 6. agi hic de celo spirituali N. T. docent fe- quentia & in- terpretatio Psalmi huic Apostolica Rom. 10: 18. Eſa. 9: 2. Matth. 4: 16. Ps. 89: 16. Apoc.

12: 1. C. 21: 24. 2. Cor. 4: 6. Ps. 45: 9. 10. Apoc. 19: 8. Ps. 93: 3. 4. Eph. 4: 18.

Ex. 53: 11, 12. C. 54: 11. Ig. c. 60. Ps. 72: 16. 17. Gen. 1: 26. 27. Col. 1: 25. Ebr. 1: 3.

1. Cor. 15: 47. 48. 49.

Gen. 2: 2. Ex. 18: 13. Ex. 66: 23. Ebr. 4: 9. Exod. 2: 3, 5.

VD18

vt ex Aegypto populum educeret, promissam vero hereditatem adire non poterat) nec Iesus typicus, (qui in requiem externam, quod typo conueniebat, populum introduxit) sed in praesepi verus Iesus inuenitur: quo duce, si credimus, ingredimur in veram requiem, vt pote cui & Moses cessit & Iosua, & vterque, exuendo pedes calceis, testimonium perhibet, illum esse verum ḥנָן (Redemptorem) cui soli debeat spongia, ita vt nec præcursor proximus, Iohannes, ea in parte ipsum potuerit præuenire.

Ebr. 4: 8.  
Exod. 3: 5.  
Ios. 5: 15.  
Deut. 25: 9.  
Ruth. 4: 8.  
Marth. 3: 11.  
Ioh. 3: 29.

Gen. 2: 23, 24.  
Eph. 5: 32.  
1. Tim. 3: 16.  
Ebr. 2: 14.  
Esa. 7: 14.  
Eph. 5: 29, 30.  
Gen. 2, 25. c. 3: 21  
Apoc. 3: 18.  
Ez. 61: 10.  
Ezechiel. 16: 8.  
Gen. 3: 25.

Aperite nunc oculos & arrigite aures, o Nostræ, & mysterium, quod Paulus magnum appellat, animaduertite. Hec, vice hac, aiebat primus homo, est os de ossibus meis, & caro de carne mea; huic vocabitur nomen ḥנָן Ischa (mulier) quia de ψην Isch (viro) sumta est hac. Propterea derelinquit vir patrem suum & matrem suam: & adhæredit uxori sua, & erunt in carnem unam. Hæc sunt verba, quæ repetit magnus Gentium Apostolus & grauiter addit: Mysterium hoc magnum est; Ego de Christo & Ecclesia dico; Iterumque vocat μυστήριον ὑπόλογον γενένας μύγα, (mysterium in confessio magnum) quod Deus sit manifestatus in carne. Nam ut pueri carnem & sanguinem habent, ipse similiter iisdem præditus fuit. Natus est ex virginе Immanuel, verus Deus ac verus homo. Quanta hinc solitarii abundantia! Nemo enim unquam suam carnem oculi, sed eam alit, sicutque Nos autem membra sumus corporis ipsius, ex carne ipsius, & ex ossibus ipsius.

Gen. 2, 25. c. 3: 21  
Apoc. 3: 18.  
Ez. 61: 10.  
Ezechiel. 16: 8.  
Gen. 3: 25.

Pudoris causam iam non habemus, in hunc si credamus Immanualem, tegente nuditatem nostram ipso Deo.

Ecce enim promissum semen mulieris, quod sub calcaneo serpentis conculaturum erat caput. Mulieris semen fuerat promissum, idque in virginis partu (vt κατὰ τὸ πρῶτον Scriptura impli refigur, quæ id in clarius posterioribus in variis expressit, multisque typis (\*) abundantius præfigu-

(\*) Vid. Alix reflexions sur l' Ecriture Sainte integro capite XIV. p. 108.

figurauit,) præstum est. En igitur sublatam maledictionem terræ, & in benedictionem transmutatam. Sublatus nunc reatus mortis; inter homines enim vivit ipsa vita, quæ vitam restituit iis, qui mortem promeriti erant. Sic propheticō spiritu Adamus vocavit nomen suæ vxoris Chauah. Liberum nunc credentibus, ut manum suam, manum, inquam, fidei, extendant, & sumant de arbore vita, & comedant & viuant in eternum. Angeli enim ad custodiendam viam ligni vitae olim constituti, nunc liberū adiutum ipsoi adnuntiant, & ad recens spectaculum pastores, quibus adnuntiauerant, ipsi alegant, iis accinentes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, & in hominibus beneplacitum (est).

Virgo genitrix nunc demum illa est, quæ iure dicere potest: Kanithi (hoc est: possedi) virum, qui Iehonae est. Adamo, vero tot posteriorum parenti, tempore, quod Deus constituerat, impleto, tandem nascitur ex virgine filius, cuius nomen Scherh (h.e. repositus) merito vocatur. Reposuit enim Deus semen aliud, nempe semen mulieris, postquam vana facta fuit, mortique subiecta omnis Adami progenies: id quod & nomine & sanguine suo Habel significauerat, & miseriae humanæ, & simul Christi, eam expiaturi, prima inter Adami posteros imago. Restituere debebat semen mulieris ea, quæ prima mulier, deinde etiam Adamus perdidérant. Posuit igitur Deus hoc salutis fundamentum, (quod & ipsum nomen Scherhi præ se tulit,) Iesum Christum, præter quod fundamentum aliud nemo potest ponere.

Noach (h.e. quietis auctor) iam nobis natus; hic consolabitur nos (non typice, sed vere) ab opere nostro, & a labore manuum nostrarum ex terra, cui maledixit Iehouah. Hic vt nomen re ipsa impleret, clamauit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis: & ego vos refocillabo.

Ecce paenituerat Iehouam, quod fecisset hominem in terra: & dolor penetraverat ad cor ipsius. Deleta fuisset omnis caro gloria (erit),

Ioh. 14: 6.

Gen. 2: 17.

C. 3: 3, 19.

v. 20.

Vid. omn.

Goodv. Moses &amp; Aaron p. 50, in notis.

Apoc. 22: 14.

i. ησαία ἀπὸν

τοῦ Ιερουσαλήμ

ζῆς ius eis in

arborem vite

conf. Ioh. 6: 51.

Luc. 22: 10 - 14.

Gen. 4: 17.

v. 25.

v. 2-8.

I. Tim. 2: 14-15.

Gal. 4: 4.

I. Cor. 3: 11.

Matth. 11: 28.

Eccl. 11: 10.

כְּנָרוֹת כְּבָר

Quies cœu (No-

achi nostri)

caro gloria (erit).



VD18

caro, & æternum perisset, nisi hic nobis natus fuisset.  
 Noachus, vt sacrificium Deo ad expiationem peccatorum totius generis humani offerret. Cernit enim nunc & matris fouetur gremio *rō dğvov* (*agnellus ille*) quod in holocaustum offrendum erat, vt odoretur Deus

*24 Sam. 12: 25.*  
*Matth. 3: 17.*  
*Col. 1: 13.*  
*Eph. 1: 6.*

*Ebr. 2: 14.*  
*c. 10: 5. sq.*

*Ps. 18: 16, 17.*

*Gen. 8: 8.*

*v. 9.*  
*Luc. 2: 7.*  
*Luc. 9: 58.*  
*Ioh. 16: 28.*

*Gen. 9: 26.*

*v. 27.*

Ille, vt carnis & sanguinis propterea factus fuit particeps, vt holocaustum, quod offerret, haberet, ita ipse, in adsumta carne, *arca* existere debebat, vndis, fluctibus ac procellis obiicienda, immo disruptis omnibus abyssi fontibus & apertis cæli fenestris exponenda, vt servaretur omne genus humanum. Quid? quod illum ipsum, qui iam natus est, non tantum *Noachum & holocaustum & arcam*, sed & columbam merito dicimus, quam Pater emisit ex *arca*, h. e. ex cælo (quid enim obstat, quo minus arca duplarem typum sustineat respectu diuerso?) in hanc terram diluicio peccatorum inundatam. Sed columba hæc, quum non inuenisset quietem volæ pedis sui, (*infanti enim Christo ne in diuersorio quidem, nec viro, quo reclinaret caput, erat locus,*) donec in cruce moreretur, redire debebat ad eum, a quo ernissa erat, intromittenda quippe in *arcam*, quam reliquerat.

Quam exoptata aurem nobis esse debet nativitas eius, in quo Deus nouo nobis fœdere iungitur, quod ei est *sicut fœdus, quod init cum Noacho?* Cuius fœderis gloriosum effectum, quem Esaias prædictis quinquagesimo quarto capite, per fidem exprimamus.

Adimpleta nunc est benedictio *Schemo* a patre Noacho impertita; natus enim ex semine eius ille est, qui est Deus ac Dominus *Schemi*, quem celebrauit Noachus, & ex quo dependet omnis non tantum posteritatis *Schemi*, sed etiam totius mundi *benedictio*. Natæ sunt deliciae generis humani, quibus ad tentoria *Schemi* iaphetus quoque



quoque alicitur, & propter quas deinceps dilatantur tentoria Iapheto. (\*)

Proditur nunc vera ratio, propter quam Schemi posteritas tanto studio in Genesi commemorata, nempe ut promissioni diuinæ sua constaret veritas, & post tot saecula fidelitas Dei celebraretur, promissam benedictionem longe supra expectationem hominum miraculose implentis.

Hactenus confuderat Deus labia hominum, ad perniciem suam in ausu malo conspirantium, ita ut non intellegeret vir labium socii sui. Nunc autem venit instaurator generis humani, in quo per Spiritum caritatis coalescunt animi hominum, & in bono conspirant, ut populus fiat unus, & labium unum omnibus. Propterea enim Filius Dei, homo factus, cruci ac mortis e dedit, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Is est enim pax nostra, qui ex duobus unum fecit, septique interstitium abruptum, & inimicitias, legem praeceptorum in placitis positam, in sua carne aboleuit, ut in se ex duobus conderet unum omnium hominem, faciendo pacem, & ambos uno in corpore reconciliaret Deo per crucem, perentis in ea inimicitias. Eo fine se a Patre in hunc mundum fuisse missum, testatur iamiam ad Patrem redditurus, quando, non pro his (discipulis) solum, ait, oro, sed etiam pro eis, qui per eorum sermonem in me credent; Ut omnes unum sint, quemadmodum tu Pater in me, & ego in te, ut ipsi quoque sint in nobis unum, ut mundus me abs te missum fuisse credat. Ego quoque, quantum ubi gloriam dedisti, eis dedi, ut sint unum, quomodo nos unum sumus: Ego in eis, & tu in me, ut perfecti sint in unum, ut que cognoscat mundus, me abs te esse missum, & eos a te amatos,

## B

quem-

(\*) Paulus Eph. II, 22, vocat κατοικησεων (domicilium) quum posteri Iapheti συνωλιται (conciues) posterorum Schemi facti essent, forsitan alludendo ad versionem LXX, quae Gen. IX, 27, habet των οικους ο Θεος την Ιαφεθ, καταστοντα τον εις τους οικους της Σημη. Dilates Deus Iapheto, & habebit in domice suis Schemi.

VD18

qui madmodum inc amasti. Hinc non ira multo post erat  
 multiuidinis eorum, qui crediderant, vna mens, unusque ani-  
 mus: & qui visi fuerant linguis diversis miraculose dis-  
 juncti, Spiritu Dei longe, quam antea, facti eodem mo-  
 mento erant coniunctiores, vnum sonum, qui in muridum  
*Psl. 19:5.*  
*Rom. 10:18.*  
*2.Paral. 5:12,13.*  
*Aqt. 1:15.*

qui in uniusum exire debebat, nunc vere edentes: id quod  
 Salomonis tempore, post arcam foederis typicam in lo-  
 cum suum introductam, sua præfigurauerat symphonia  
 chorus musicus Levitarum & Sacerdotum centum &  
 viginti, qui propterea numerus accurate etiam in an-  
 titypo est expressus.

*Ad Abrahamum venimus, qui videre gestinit diem*  
*Messie, & vidit, idque letatus est. Miratur Matthæus pro-*  
*portionem, quæ in Genealogia Christi ab Abraham ad*  
*Dauidem, a Dauide ad captivitatem Babyloniam, a ca-*  
*puitate ad finem periodorum Veteris Testamenti de-*  
*prehenditur inter generationes numero quaterdenario*  
*distinctas. Non frustra (sunt verba Erasmi Schmidii\*)*  
*periodum quaterdenarium Euangelista obseruat; sed ad alio-*  
*rem historiarum & temporum indagationem atque collationem*

*nus de lucere cupit. Rechte omnino Euangelista vestigia se-*  
*quuntur, qui tres heptades simplices, præeunte scriptura,*  
*in superiorib⁹ generationib⁹ obseruant ac mirantur.*  
*Quis talia fortuito ita euenisce, sibi persuadeat, in primis*  
*quum viderit, Spiritum S. ea non neglexisse? Est sane*  
*serius iste sapientiæ æternæ lufus per tot hominum ge-*  
*nerationes, per tot sæcula, immo millennia deductus.*  
*O cæcos mortales, Scripturæ auctoritatem in dubium*  
*vocantes, a Scepticismo ad Atheismum proclives! Pos-*  
*fent, nisi ea, quæ diuina sunt, mente profana fastidirent,*  
*vel ex lusu Sapientiæ de temeritate ac stultitia sua con-*  
*vinci; quid fururum, si ad magis seria, & ipsam Numi-*  
*nis Majestatem spirantia, mentem calte ac summissile*  
*appell-*

\* annot. in N. T. p. ii. & iiii.

appellerent? Verum enim uero sterilis est ager, quem sol amoris Christi non reddit fructum. Qui Christum diligunt, ad eum testimonio Scripturæ adducti, eodem se dum communire satagunt, plura in dies deprehendunt, quibus & oblectentur, & in cognitione Christi viua ac salutari consermentur. Id illis visu venit in legenda Scriptura, quod tribus discipulis in transfiguratione Christi, qui conspiciebant primum Mosen & Eliam cum Christo colloquenter, at mox sublati oculis neminem viderunt nisi solam Iesum. Ita videlicet omnia tandem propter Iesum scripta esse deprehenduntur.

Sed quo dilabimur? Isthanc si demonstrare observationem per singulas ab Adamo ad Abrahamum generationes vellemus, destituturum nos tempus foret, æque ac auctore in epistolæ ad Ebræos, exempla fidei ex Veteri Testamento commemorantem; nedium, si adscendere ab Abraham ad Christum, & singulis in generationibus, vna cum nominibus hominum, diuino consilio impositis, singula facta dictaque, & tectas umbra Veteris Testamenti vias Dei typicas excutere, atque ad Christum finem unicum & ultimum referre sustineremus. Tam copiose ac varie ludit ἡ πολυπολιτεία σοφία τοῦ Θεοῦ (multiplex & varia sapientia Dei) tam cumulate vaticinijs disertis miscet rerum umbras, &, dum prorsus aliud agere, & rebus modo minimis, modo maximis intenta esse inter homines videtur, nunc infantem, puerum, adolescentem, iuuenem, virum, senem, nunc sponsum, maritum, patrem & matrem-familias, immo nunc pueroram & obstetricem, nunc oeconomum, nunc architectum, nunc pastorem, nunc militem, nunc regem ac iudicem, nunc seruum, hospitem, peregrinum, captiuum, nunc Levitam, sacerdotem, prophetam, nunc legislatorem, nunc seruatorem, & quid tandem non? agendo, finis sui principia-

March. 17:5, 8.  
Et hæc com-  
paratio Rob.  
Boyle, Angli,  
in diss. elegan-  
tissima de filio  
Scripturæ S.

Ebr. 11:3,

cipalis non immemor, in his omnibus *filium hominis*, veste prophetiam præ se ferente indutum, in scenam producit. Et quis creaturas omnes *œavḡōw̄s* (*Dei in carne*) reuelandi significationem habentes, ne inanimatis quidem in ipso deserto de Christo tacentibus, enumeret? Relinquimus hanc mediationem Sapientiae filii, quibus datum est, ut cognoscant mysterium regni celorum. Reliquis enim non datum est.

*Matth. ii: 19, 25.  
Cap. 13: 11.*

Non in hac re sanctissima conjecturis humanis, non ineptis applicationibus, quas in auctoribus profanis etiam (nec interdum forsan sine ingenio) formaueris, nec aliquo sensus litteralis preiudicio agendum quicquam est. Prophetarum clara & expressa sequenda sunt vestigia, filium interpretationis Apostolicæ *ἀναβωτικῆς* (accurate) tendendum. Illa sola amplectenda, quæ fundamento Prophetarum & Apostolorum, ubi ipse Christus est angularis, inadficari possunt. Hisce limitibus si nos continemus, non tantum paratum erit aduersus dubitationem omnem remedium, & certa ac firma, vt pote ad regulam certam examinata, erunt omnia; sed etiam imaginum ac figurarum diuinarum libertatem ac copiam infinitam, duce spiritu veritatis, pie scrutando ipsi deprehendemus.

*Eph. 2: 20.*

Nos hac vice manum de tabula. Ad Abrahamum tamen quia peruenimus, principem promissionem diuinatus illi factam, typumque principalem, qui in domo Abrahami datus est, sicco pede præterire nefas credimus. Benedicentur, ait Deus, *in te (ac in semine tuo) omnes gentes terre.* Huius promissionis, quæ nihil obscuri habet, Iacobus existere typus debebat, vt ipso nomine, Iesum, Immanuēlē, Iedidjab, delicias celi ac terre, quasi prænuntiaret. Iacobus enim *r̄isum facientem* significat. Et typicus quidem erat Sar̄a risus, typicus Abrahāmi; risus vero ille, expectationis ac desiderii præcedentis, admir-

*Gen. 12: 3.  
Cap. 18: 18.  
E. 22: 18.  
C. 26: 4.*

*Gen. 17: 17.  
Cap. 18: 12, 13.*

mirationis atque gaudii præsentis index, Messia in car-  
nem aduentu impletus est. Primitias spiritualis illius  
latitiae perquam beatas illico persensit *pastorum cohors*, sensit mox etiam *Simeon*, sensit *Hanna* cum aliis,  
qui *solarium Israëlis* præstolati erant, senseratque iam an-  
tea natus præcursorum Messiae filium *Zacharias*, sense-  
rat beata virgo una cum *Elisabetha*; & in huiusvtero de-  
libutus illo ipso gaudio, immo perfusus, aduentante  
matre Domini sui, exultauerat *Iohannes*: Quid? quod  
nato nostro *Iacobao* (Iesu) ipsum calorum exercitum, & suo  
ex cælis descensu, & hilari nuntio, cantuque suatiissimo  
exultantem intelligimus, ouantem triumphantem, ea-  
demque gaudia vniuerso mundo adferentem: quan-  
quam paucitas eorum, quos tunc in tanta hominum  
multitudine gauisos esse sacra pagina commemorat, te-  
statur, Abrahami fidem ad degustandum tam sanctum  
gaudium regniri, ut quod maxime.

Luc. 1: 22

Ier. 14: 8.

Ceterum nobis quid agendum, *Ciues Academicci!* vi-  
detur? Non Athenæ hic sunt, ut altare extruamus **IGNO-**  
**TO** DEO. Fundata est *Fridericana* nostra, ut sit *urbis Dei*, A&t. 17: 23.  
cuius portas, tanquam portas *Zionis* amet *Iehouah*; *urbs*, Ps. 87: 1. sq.  
quæ personet euangelio Christi, cuius ciues verbi virtute  
nascantur ex Deo, qui se manu sua animoque *Iehouæ* ad-  
scribant. Prædicatus est, & adhuc prædicatur Iesus  
Christus fundatum, lapis angularis, factus nobis a Deo sa-  
pientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Quod si quis  
vano vitæ habitu eum sibi adhuc ignotum esse (quod  
plurimi pro dolor! faciunt,) ostendat, suæ id acceptum  
ferat incuria, ac somnolentia, suoque tribuat detestando  
verbi diuini contremui. Non ita agamus, o Nostri, ne-  
moniti tandem, nostra culpa, vindice iustitia Dei, pere-  
mus. Gauideamus ac perfruamur *Officina*, quam Dei  
erga nos misericordia instruxit, *Spiritus Sancti*. Sint cor-  
da nostra altaria, **CHRISTO SALVATORI** dicata.

Ez. 44: 5.

Ez. 28: 16.

1. Cor. 1: 30.

B 3

Cogi-

VD18

Cogitemus, & apud animum sancte custodiamus; res, quæ diebus hisce sermonibus sacris celebratur, <sup>noue</sup> nimirū *genesis*, ipsam mundi genesin vt antitypus typum, vt substantia vmbra superans; mundi peccatis perditis restitutio, & propter hanc ipsam, *Filiū Dei ī vī dīgenwōis (incarnatio)* quanti sit ponderis ac momenti. Quid mirum, rem eandem tanto, vt intelleximus, apparatu, tot sacerulis, tanta personarum, rerumque multitudine, immo ab omni creatura in theatro sapientiae repræsentatam esse? qua maiorem, magisque stupendam nec dederunt saecula vlla, nec dabunt unquam. Hunc nobis risum, haec gaudia Deus Optimus Maximus præparauit, & vt, apparentibus tandem tot ipsis promissis, largiora, suauiora, solidiora nobis existerent, amplissimum maximeque varium tanto antea tempore præludium, ad sufficiendum maiorum spem, & confirmandam posteriorum fidem, nec dare, nec scriptione tradere, mortales dedignatus est.

Fruamur itaq; & perfruamur gaudiis diuinitus nobis præparatis, iisqne præsentibus nunc & obuiis: qui autem fruamur? Per fidem, an sine fide? Per fidem. Si per fidem, an sine poenitentia ab operibus mortuis, a sensu carnali, a vanamente & profana? Fides sine poenitentia nulla, vt sine operibus mortua. Exuamus igitur calcos, removemus vestes impuras; deponamus, inquam, quia est veritas in Iesu, veterem hominem, neque ad haec mysteria sine reverentia, iis debita, accedamus. Præsertim cum sciamus, quæ est grauissima Apostoli exhortatio, venisse tempus & horam, qua iam sit nobis a somno expurgandum. Nunc enim proprius est salus nostra, quam tum, quum credidimus. Discessit nox, dies adest. Quare deponamus operacnē brarum, & induamus armā lucis. Honeste nos, vt in die, geramus: non coemptionibus & ebrietatis, non concubutibus, & libidinibus, non iurgis, emulatione. Sed induite

Domini

- Iac. 2: 26.  
Exod. 3: 5.  
Zach. 3: 4.  
Matth. 22: 12.  
Eph. 4: 21, 22.  
Rom. 13: 11, 14.

Dominum Iesum Christum, neve carnis curam gerite, cupiditatebus indulgendo. Vetera prætereant, noua fiant omnia. Si 2. Cor. 5:17.  
 Christiani sumus, sumus etiam christi (noua creatura) atque  
 mortuæ (opus Dei) uti deitatis (creati) in Christo Iesu ad recte Eph. 2: 10.  
 facta, que preparauit Deus, ut in illis versaremur. In nobis  
 fiant, oportet, noua creatio; quandoquidem præter eam,  
 quid est, quod valeat in Christo? Quicunque vero ad Gal. 6: 15, 16.  
 hanc normam segerunt, iis pax (quam chorus cælestis ap-  
 precatus est). & misericordia tribuetur vna cum Israele Dei.  
 In nobis celum nouum, & noua terra, in quibus iustitia habitet, 2. Pet. 3:13.  
 per fidem hic præparentur, ut sumus domicilium Dei in Eph. 2: 22.  
 Spiritu, Spiritus sancti templum, ciuitas Dei sancta, in qua  
 regnet iustitia, pax & gaudium. In nobis, seiuæ tene-  
 bris, lux æterna diem adserat nouum; nostrum iam in  
 celis est nolite uox (nostra obuersatio); In nobis conspicatur  
 in posterum terra, que pluuiam celi, viuas, quas Christus si-  
 tientibus spondit, aquas imbibat; terra quam Iehouah Deus  
 noster requirat ingiter, & in quam dirigantur oculi Iehouæ Dei  
 nostri ab initio usque ad finem anni; terra, que herbam pariat,  
 diuino verbi semini conformem, fructusque illis accommo-  
 datos, proper quo colitur; in nobis effulgeat & exsplen-  
 descat sol iustitiae, & sauitas (fidei) sub aliis eius; ut sumus ir- Mal. 4: 2.  
 reprehensi integrique, inculpati Dei filii, in medio praui per- Phil. 3: 15.  
 versique generis hominum, quos inter micemus. & Phœnix (lu-  
 minaria, astra) in mundo, prout decet veram ac spiritua- Gen. 13: 5.  
 lem Abrahæm sboleam; in nobis sedentur vagi cupiditatuum fluctus nec sumus porro sicut mare, cuius aquæ canum  
 & lumen extinxerint; producantur autem in nobis Christi  
 verbo cogitationes sobriae, vitam diuinam spirantes, ut  
 sumus & dæmones & georges (superæ querentes & sen-  
 tientes) non terrestria. Renouetur in nobis, (quo pa- Col. 3: 1, 2.  
 eto enim id extra nos, si de interno solliciti non sumus,  
 fieret?) Imago Dei; mentis nostræ spiritu renouemur, &

nouum

VD18

nouum hominem induamus, conditum diuinitus cum iustitia  
 veraque pietate. Huc sabbatum diesque festi spectent;  
 in nobis hic etiam per fidem quies sit ab operibus no-  
 stris, pax Christi regnet, nomen Domini exercitum,  
 sanctificetur. Ita vocabimus iure sabbatum, diesque  
 festos delicias Sancto Ichoue, quem laudari etiam a nobis,  
 ut iussi sumus, his ipsis diebus propter externa beneficia  
 & arma victoria fas est, in primis cum absque ullo no-  
 stro merito ex abundantia gratiae peccatoribus nobis  
 tantum indulserit; sed caendum, ne obliuiscamur in-  
 ter gratulationes, nos esse peccatores, ac poenam esse  
 promeritos; sed ad id omni animo incumbendum, ut  
 seruiamus Ichoue in timore, & exultemus in tremore, ut oscu-  
 lemur Filium, ne irascatur, & pereamus in via; quia exarde-  
 bit breui ira eius: beati omnes, confidentes in ipso. P.P.  
 in Academia Fridericana ipsis feriis, Natali  
 Christi sacris. Anno MDCCII.

HALAE MAGDEB.  
 Litteris ORPHANOTROPHII.



Po. Kb 3899 X

AK

ULB Halle  
003 289 699


3



Paul Dienberg  
Buchbinderei  
Halle-S., Fleischersstr. 26

VD18





1943 K 72 09 142

PRORECTOR  
ACADEMIAE  
FRIDERICIANAE  
**PAVLVS AN-**  
**TONIVS,**  
SS. Theol. D. & Prof. P. Ordin. Confist.  
Magdeb. Confiliar.

*vna cum*  
**PROFESSORIBVS**  
**RELIQVIS**  
**CIVES ACADEMICOS**

AD FERIAS NATALI SERVATORIS SACRAS  
*rite ac pie celebrandas,*

Omnis ac singulos humanissime hortatur  
atque inuitat.

